

ביהור

PECCATUM ORI- GINIS,

P R Æ S I D E
V I R O

*Maximè Reverendo, Amplissimo, Excellen-
tissimo,*

DN. JOHANNNE *Deutschmann/*

S. S. Theol. D. & Prof. Publico, celeberrimo, ut &
Alumnorum Electoralium Ephoro gravissimo,

*Dn. Praeceptore, Patrono, ac studiorum suorum Pro-
motore aeternum venerando & observando,*

In alma Electorali Wittebergensi Universitate,

DISPUTATIONE PUBLICA
exponit,

M. MATTHIAS *SKÖLZSI/*
Leutschoviensis Hungarus.

Ad d. 5. Januarii Anni M. DC. LXIX.

WITTEBERGÆ,

In Officina FINGELIANA exscribebat MICHAEL MEYER.



Handwritten marks and signatures

oll. diss. A
S 2, 39

24. A 162 (39)

J. M. h





QVÆSTIONES ANTI-PAPISTICÆ
EX ARTIC. II. CONFSSIONIS AUGUST.

DE PECCATO ORIGINIS.

QVÆSTIO PRIMA.

Utrum Peccatum Originis sit aliquid positivi?

1. **M**agnæ semper difficultatis extitit inter Ecclesiasticos Doctores, in *originalis peccati* naturam accuratius inquirere, quia juxta *Form. Concord. in solid. Declar. p. 639.* quid & quantum sit hoc ingens hereditarium malum, id nulla humana ratio indagare, aut agnoscere potest, vel juxta *Epitom. Contröv. p. 574.* hoc quantum sit malum verbis revera est inexplicabile, neq; humana rationis acumine indagari, sed duntaxat per verbum Dei revelatum agnosci potest, aut juxta *Schmalcald. art. part. 3. art. 1. p. 317.* hoc peccatum hereditarium tam profunda & tetra est corruptio nature, ut nullius hominis ratione intelligi possit: sed ex scriptura patefactione agnosceda & credenda sit *Psal. 51. Rom. 5. Exod. 33. Gen. 3.* Rationem hujus difficultatis exponit *solida declar. p. 640.* uberius, quod peccatum originale in humana natura non tantummodo sit ejusmodi totalis carentia, seu defectus omnium bonorum in rebus spiritualibus, ad Deum pertinentibus, sed quod sit etiam, loco imaginis Dei amasse in homine, intima pessima, profundissima (instar cujusdam abyssus) inscrutabilis & ineffabilis corruptio totius nature, & omnium virium, imprimis verò superiorū anima & principalium facultatum, in mente, intellectu, corde & voluntate. Itaq; jam post lapsum homo hereditario à parentibus accipit congenitam pravam vim, internam immunditiæ cordis pravas concupiscentias & pravas inclinationes: ita ut omnes natura, talia corda, tales sensus & cogitationes ab Adamo, hereditaria & naturali propagatione consequamur, quæ secundum summas suas vires, & juxta lumen rationis, naturaliter è diametro cum Deo & summis ipsius mandatis pugnent, atq; inimicitia sint adversus Deum, præsertim quantum ad res divinas & spirituales attinet. In aliis enim

externis & huius mundi rebus, quæ rationi subiecta sunt, relictum est homini adhuc aliquid intellectus, virium & facultatum: etsi hæc etiam misera reliquia valde sint debiles, & quidem hæc ipsa quantum ad cuncta, per morbum illum hereditarium veneno infecta sunt, atque contra naturam, ut coram Deo nullius momenti sint. Ex quibus omnibus apparet, quod omnino non sine causa difficultatis non parum in hac quaestione reperiri dicatur.

2. Ut autem ex his difficultatibus nos eò facilius extricare queamus, nonnulla circa *status controversia* dilucidationem præmittere lubet. (1) Quod per peccatum Originis h. l. non intelligamus, peccatum originis originans, quale Scholasticis dicitur, & est lapsus Adami, vel peccatum protoplastorum primum, ex quo cætera cuncta, tanquam ex origine promanarunt, ac inde suum esse, tanquam ex foecunda, sed maxime deploranda matre, cumulatum acceperunt: sed peccatum originis originatum, sicut vocatur, quod est peccatum hereditarium, à parentibus in liberos traductum, ex quo, tanquam ex matrice, cuncta hominis actualia peccata progrediuntur.

3. (2) Quod iuxta sacrarum literarum ductum peccatum originis non tantum significet imaginis divinæ, primum homini concreatæ, totalem carentiam, sed etiam corrupta nature presentiam, quemadmodum ex F. C. verbis tb. i. notatis, colligere promptum est: quæ certe corruptio non est sine *σείησις*, sed tamen non est nuda quædam *σείησις*, quasi mera tantum in exclusivo sensu privatio sit, sed insuper est quædam prava corruptionis, vel corrupta pravitatis *θείσις*, adeoque monstrum aliquod foedum, ex privatione divinæ imaginis, & positione larvæ Diabolicæ conflatum.

4. (3) Positivum sumi vel *πρώτως, κρείως*, in sensu perfectionis, quatenus semper infert Ens aliquod verum atque bonum, vel positivam Entis affectionem, aut perfectionem: vel *δευτέρας, ἀκέρως*, in sensu corruptionis, sicut suo modo corruptio, deformitas, depravatio, & alia his similia poni dicuntur, cum non sint merae negationes, nec merae privationes sed contraria quædam positiones, vel detorsiones: hinc etiam in vulgaribus privationibus illud contingit, quæ non tantum objecti sublationem, sed etiam subiecti lesionem, vel corruptionem inferunt: e. g.

facitas

cecitas non solum tollit visum, sed etiã corrumpit visus subjectũ, & lædit oculũ, visionis organũ, prava dispositione quadam, ut videre nequeat: idem in *surditate*, *claudicatione*, cæterisq; privationibus observare licet. Et nemo dicet *monstrum* meram privationem rectitudinis naturalis, cum insignis deformitas vere ponatur in eodem, & omnium in oculis exponatur. Cum igitur *peccatum originis spirituale* sit *monstrum* coram Deo, veraq; privatio cum subjecti corruptione conjuncta, certe positio quadam concedenda venit.

5. (4) Aliud esse, *Positivum Ens*, juxta *rigorem Metaphysicum*, & aliud *positivum in genere*, juxta *vulgarem loquendi modum*, vel etiam *positivum aliquod malum*: aut *disting.* inter *Ens positivum*, & *aliquid positivi*, cujuscunq; tandem illud sit conditionis: *peccatum originis* non secundum *axiōem Metaphysicam positivum Ens*, sed juxta *modum loquendi vulgatum aliquid positivi* nuncupatur: vel non dicitur *Ens positivum*, sed *malum positivum*: non *ἀλλῶς positivum*, sed *ἕτερόως*, cum *relatione ad privationem*, cum simul sit *privativum* ratione *εὐρησεως boni*, *positivum* ratione *θεσεως mali*: vel, ut superius indicatum, sit *monstrum* aliquod ex utriusq; concursu conflatum, *monstrum*, vel *malum*, *privativo-positivum*, seu *positivo-privativum*, quod nuda privatione non terminatur, sed horrendam, & ineffabilem corruptionem in homine causatur. Hæc & alia, quæ nunc adducere nolumus, si quis recte juxta scripturam, & ipsius originalis peccati naturam, rectius consideraverit, omninò peccatum originis aliquid esse positivi, sine tergiversatione concedet.

6. Verum huic orthodoxæ sententiæ dicam scribit *Bellarmin.* l. 5. de *amiss. grat. & stat. peccati* c. 15. ubi contrariam *antithesin* defendere conatur. Non autem nunc de eo solliciti erimus, num *Bellarminus* in termino *positivæ qualitatis* fucum faciat, & alienã nobis affingat sententiam: nam quod peculiarem qualitatem, naturæ superadditam, *Lutherani* non intelligant, ipse *Bellarmin.* 5. *Hæc sententia* fatetur, inqviens: *Lutherani non agnoscunt ullam superadditam qualitatem, sed eam potius vident*, *Philippus in Apolog. Confess.* non procul ab initio: *De fomite*, inquit, *disputant*, quod sit *qualitas corporis*, & ut suo more sint inepti, *querunt*, *utrum quali-*

tas illa contagione pomi, an ex afflatu serpentis contracta sit: nec de patrum testimoniis, quæ contra sensum ipsorum detorquet Cardinalis, aut aliis, multa monebimus, sed tantum rationes ejus ad amissim veritatis movebimus.

7. Probat suam antithesin (1) Si concupiscentia qualitas esset positiva, positivam causam habere deberet. Hac velesset DEUS, vel Diabolus, vel serpens, vel homo, vel certe pomum ipsum vetitum. Deus non potest esse, quia sic Deus autor esset peccati: neq; Diabolus, quia non habet potestatem Diabolus aliquid producendi, nisi per motum localem applicando activam passivi, idq; in rebus corporalibus tantum: hæc autem qualitas spiritalis esse dicitur: multo minus serpens, tum quia serpens corporalis non potest afferre spiritalem qualitatem: tum quia nihil egit ille serpens in Adamum, sed tantum cum Eva collocutus est. Neq; homo potest esse causa, quia Adam per actum peccandi efficere potuit in se dispositionem aliquam ad similem actum, sed non talem qualitatem, quæ perpetuo haberet, & ad omnia mala inclinaret, qualis est concupiscentia. Nam actus ille superbiae fuit, & per eum gigni non potuit continuo habitus superbiae, sed solum levis dispositio, quæ facillimè colli potuisset, & multo minus gigni potuit habitus inclinans ad fornicationem, adulteria, homicidia, furtum &c: Denique nec est pomum causa vitiosæ qualitatis, quia ne cuiquam pomum illud malum fuit, & ideo prohibitum, sed ideo malum quia prohibitum, & alioqui bonum, sicut cætera, quæ Deus creaverat &c: Resp. (1) nititur tota hæc structura collectionis hypothese falsa, quasi qualitas illa positiva, quam ita vocat, verum & positivum Ens sit, verum & positivum accidens, verum & positivus effectus, per causam aliquam positivam verè productus, quæ simpliciter à nobis non conceduntur, nec concedi possunt, nec ex nostra sententia fluunt, cum peccatum originis non sit positivus effectus, sed, ut ita loquar, positivus defectus, vel corruptivus defectus, h. e. non defectus nudus, sed cum corruptione & fæda pravitate conjunctus. (2) Dist. igitur inter positivam qualitatem, & positivam pravitatem: hanc potius, quam illam originis peccato tribuimus. (3) Non Deus, sed Diabolus & homo hujus positivæ pravitatis cause sunt, non effectiva, sed defectiva, vel si mavis corruptiva causalitate, non perfectiva, sed destructiva, nam monstrorum effectuum monstroræ

strosæ causæ sunt, & monstrosis etiam verbis utendum, ut naturam illam monstrosam indicare valeamus. (4) Diabolus non potest Entia substantialia producere, variarum autem malarum qualitatum & operationum eum autorem esse, scriptura docet & experientia quotidiana. Et homo pariter ex ἀταξία generali lapsus primi turpissimam ἀταξία omnium virium & membrorum produxit, ex qua generali ἀταξία omnis generis peccata suum ortum postea traxerunt.

8. (II) Si concupiscentiæ vitium qualitas esset positiva, per peccatum primum hominis in ipso primo homine exorta, non facile posset ostendi, quemadmodum transmitteretur ad posteros: neq; enim habitus acquisiti trajiciuntur in prolem, uti perspicuum est de omnibus habitibus scientiarum, virtutum, artium, donorum. Quod si aliquando Pater ingeniosus Filium ingeniosum gignit, aliquando etiam contra accidit, ut Pater sapiens filium insipientem generet, ut scriptura testatur de Salomone, & Filio ejus Roboam. Resp. (1.) posito, quod difficilis explicatu sit propagatio vitii originalis, non tamen propterea natura ejus neganda. (2) Dispar est ratio habituum bonorum & malorum, quia illi sunt vera & positiva Entia, hi verò formaliter Entia positiva non sunt. (3) Dist. inter habitus mere acquisitos & accidentales, & inter habitus congenitos & naturales: hodie peccatum originis habitum congenitum, non acquisitum dicit, cum à parentibus in liberos per generationem propagetur: si quidem dist. inter primum ortum & succedaneum statum; quoad primum ortum, acquisitum est respectu protoplastorum, sed quoad succedaneum statum, congenitum est respectu posterorum, quia firmiter in natura corruptionis radices egit, ut cum ipsa natura propagetur, unde dicitur Gen. V. 3. quod Adam non ad imaginem DEI concreatam, & integram, sed ad imaginem suam introductam & corruptam Filium Seth genuerit.

9. (III) Vel DEUS est autor positivæ illius qualitatis, vel non: Si est, igitur est autor peccati, istam enim concupiscentiam adversarii peccatum esse contendunt; si non est, igitur Deus non est autor omnium rerum; neque verum erit, quod in Evangelio legimus Joh. 1. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Resp. (1) fallac. divisionis, quia statim subjungitur, quod factum est: peccatum

cum non est factam, ve effectum, sed designat pravum defectum.
(2) dist. inter res bonas & malas: illarum DEUS autor est, non ha-
rum: originis autem peccatum res mala dicitur. (3) Concupi-
scentia non simpliciter est peccatum, cum etiam datur concupi-
scentia bona, quæ naturæ dicitur, sed concupiscentia carnis est pecca-
tum, de qua Confessio nostra loquitur, quæ culpa perhibetur,
quando sine metu Deum, sine fiducia erga Deum cum concupiscentia
nascimur.

10. (IV) Etiam si concederemus, in carne qualitatem morbi-
dam ex peccato primi hominis accessisse: tamen intelligi non posset,
quomodo caro infecta animam inficeret. Neq; enim corpus imme-
diatè in spiritum agere, & spirituales qualitates producere potest.
Resp. (1) qualitates, juxta Philosophos, non tam in corpore, vel ma-
teria, quam in forma, vel anima, reperiuntur, cum quantitates ma-
teriam, qualitates formam, juxta sententiam communem, sequan-
tur: cur igitur qualitatem magis corpori, quam animæ Bellarmi-
nus tribuit? (2) non tantum quoad corpus, sed etiam quoad ani-
mam protoplasti peccarunt, adeoque tam animam, quam corpus,
peccato infecta, posteris suis communicarunt. (3) Licet omnia
non possimus intelligere, non tamen mysteria fidei, clarissi-
mis scripturæ testimoniis suffulta, vel sunt neganda, vel in dubi-
um vocanda.

11. (V) Cur illa qualitas, si ponatur, adventitia sit, & contra
naturam, quomodo fieri potest; ut tam longo tempore non sit immi-
nuta, vel penitus extincta. Resp. (1) morbi hereditarii, per genera-
tionem à parentibus in liberos propagati, licet inimici na-
turæ sint, tamen non decrescunt, sed indies potius crescunt, &
tandem totam hominis naturam inficiunt, imò deniq; mortem
ipsam inferunt: si proinde de malis naturalibus id verum, nec
de praternaturalibus morbis illud absurdum. (2) quod peccatum di-
citur adventitia qualitas, illud respectu primi ortus verum est, sed
ratione succedanei status penitus falsum, quia nihil aliud est, quam
intima naturæ corruptio, ita ut natura filii peccati simus; &
iræ Ephes. 11. 3. (3) Licet peccatum sit contra naturam, scilicet,
quatenus integra fuit, & à Deo condita, tamen quod contra na-
turam

turam ponitur, verè ponitur, adeoq; suo modo positivum est, quod h. l. nos urgemus.

12. (VI) *Quia hæc qualitas omnino videtur supervacanea.* Nam ad hoc, ut caro concupiscat adversus spiritum, satis est, si habet sentientem appetitum, qualem bestia habent, & non adsit frenum justitiæ originalis, ut autem minus sequatur corporis temperamentum, satis est, quod in eadem animæ essentia radicem habeant sentiens appetitus & voluntas, & sensus & ratio. Hinc enim absq; ullius qualitatis adjumento, ob solam corporis complexionem & constitutionem, aliqui sunt ingeniosi, aliqui hebetes, aliqui bilares, aliqui tristes, aliqui proni ad unum vitium, aliqui ad aliud, aliqui mites, aliqui iracundi &c: Resp. (1) de peccato originis, vel concupiscentia mala, non audiendum est, quid Bellarmino, vel aliis Papistis videatur, sed quid scriptura confiteatur. Cum igitur eam, ceu positivum aliquid, scriptura clare satis describat, nos in illa descriptione firmiter acquiescere possumus. (2) Nititur Bellarminus falsis Scholasticorum hypothesebus, quasi hominis naturalia post lapsum integra manserint, quod originalis justitiæ fuerit saltem donum aliquod supernaturale, quod non aliam operam homini præstiterit, quam frenum indomito eqvo præstare solet &c: quæ omnia sunt à sacris literis non tantum aliena, sed etiam iisdem adversa, sicut alibi demonstratur. (3) Bellarminus sibi metipsum non constat, nam antea dicebat, corpus in spiritum agere non posse, modo tamen de complexione corporis fingit, quod illa sola sit sufficiens ad varias animæ ad peccata quælibet inclinationes: sane quod corpori toti non est possibile, nec à sola corporis complexione vel expectari, vel præstari poterit.

13. (VII) *Quia qualitas ipsa positiva per Baptismum non tollitur, ut notum est.* Ergo, si peccatum originis est concupiscentia, & concupiscentia est qualitas positiva, certe sequitur, Peccatum Originis, per Baptismum non tolli: quod in Ecclesia Catholica ut exploratus error exploditur. Resp. (1) non à Catholica; sed à Papistica tantum Ecclesia hoc dogma, tanquam erroneum rejicitur: inter hanc autem, & illam maxima differentia reperitur. (1) Dist. igitur inter errorem verum & apparentem, secundum dici & esse, inter eum,

quæ

qui vere talis est, & qui haereticis talis videtur. (3) Peccatum originis in baptismo tollitur non quoad habitum, sed quoad reatum, non ut non sit, sed ut non imputetur, cum post baptismum etiam omnes sancti sint & maneant peccatores, ut cum Paulo conqueri necessum habeant: *O me miserum, quis me liberabit à corpore mortis hujus Rom. VII. 24.* & cum Davide remissione peccatorum singulis diebus opus habeant *Psal. XXXII. 6.*

QVÆSTIO SECUNDA.

Utrum peccatum Originis in Augustana Confessione recte describatur ita, quod homines nascantur, sine metu Dei, sine fiducia erga Deum?

1. Nos affirmativam tuemur sententiam (1) ex corruptionis statū, in quo nascuntur homines juxta scripturam, ut *ira filii Ephes. II. 3. h. e. sine metu Dei, sine fiducia erga Deum, ἀθεοί v. 12.* (2) ex peccati originalis opposito; sicut enim imago Dei præter reliquas virtutes inferebat etiam metū & fiduciam Dei: ita è contrario peccatum originis absentiam metus, vel timoris Dei, & fiduciæ erga Deum importat, cum de contrariis contrarium ferendum sit judicium. (3) ex definitionis peccati originalis actu. Nam Augustinus definit peccatum Originis, quod sit concupiscentia. *Anselm. in lib. de Concept. Virginali c. 26. Peccatum, quod originale dico, aliud intelligere nequeo in ipsis infantibus, nisi ipsam factam, per inobedientiam Adæ justitiæ debitæ nuditatem, per quam omnes homines sunt filii iræ. Hugo lib. 1. de Sacram. p. 28. Si queritur, quid sit peccatum originale in nobis: intelligitur corruptio, seu vitium, quod nascendo contrahimus per ignorantiam in mente, & per concupiscentiam in carne.* Hæ & aliæ definitiones antiquorum Doctorum, quas ipsimet Papistæ non rejiciunt, nihil aliud inferunt, quam quod in *Aug. Confessione* dicitur. (4) ex genuino verborum sensu. Nam hæc verba non intelligenda sunt de ἀδυναμία ipsa, non de ἀσθενεία, non de ἀφύσσεια, sed de primo, non effecti-ve, sed affecti-ve, non actualiter, sed originaliter, cum descriptio rem in se, non in effectū, vel opere, communiter attendat.

2. Circa

2. Circa statum controversia notamus breviter (1) non disquiri nunc de eo, num in his *adequatè natura peccati originalis* consistat: nam in ipsa *Confessione* statim additur, *cum Concupiscentia*: certum etiam aliàs, quod peccatum originis non tantum adductarū, sed etiam *altarum virtutum* ἐξέησις, imò totius *imaginis divine negationem*, simulq̄ve *malorum* θέσις inferat. (2) quod *Confessio*, nō intelligat ἀφοβίαν & ἀπιστίαν *actualem*, sed *originalem*, non *acquistam*, sed *connatam*. Plura vid. in *Discuss. Anatom. Coll. 2. disp. 5. quæst. 2. tb. 2. seqq.*

3. *Negativam* statim in *Augustanis Comitibus* nostræ *Confessioni Papistica Confutatio* verbis apertis opposuit. Sic enim illa: *Declaratio Articuli*, quod peccatum originis sit, quod nascuntur homines sine metu Dei, sine fiducia erga Deum, est omnino rejicienda: cum sit cuilibet Christiano manifestum, esse sine metu Dei, sine fiducia erga Deum, potius esse culpam *actualem* adulti, quam noxam infantis recens nati, qui eju rationis adhuc non pollet, velut Dominus ad Moysen ait: Tui parvuli, qui hodie boni & mali ignorant distantiam Deut. 1. sed has nugas *Philippus* etiam mox in *Apolog. Confess. p. 50.* refutavit, ubi plura de his legi possunt.

4. Has autem nugas *Thomas Henrici* non tam in *Anatomia Confess. August.* quam ita stolide vocat, prout in ejus *Discussione* juxta scripturam vidimus, sed etiam in *Iren. Cathol. part. 1. art. 2. p. 3.* renovavit, quod nim. *Peccatum originis per se verbis istis describi non possit.* Ubi notamus (1) quod *Peccatum Originis* proprie loquendo non sit *Ens per se*, cum omne *Ens per se* sit *Ens positivum* proprie dictum, quod de *Peccato Originis* dici nequit: Ergo nec illud hic urgeri debet. (2) Si verba hæc non *accuratam definitionem* exhibent, quæ in hoc objecto non est expectanda, tamen aliqualem descriptionem tradunt, quod non potest negari, cum ipse *Thomas Henrici* largiatur, quod *prave concupiscentia* sint *morbi connati*: *morbi v. connati* corruptionem naturæ sistunt, & *Peccatum originis* definiunt. (3) Verba non sunt mutilanda, sed integra recitanda, sic omnino *Peccatum originis* satis clare, quoad *boni privationem & mali positionem* describitur, quod *homines secundum naturam propagati nascantur cum peccato*, vid. *originali*, h. e. **SINE METU DEI, SINE FIDUCIA ERGA DEUM**
B & CUM

& CUM CONCUPISCENTIA: licet necessum non sit, ut in Confessionibus, vel Symbolis, accuratæ definitiones proponantur.

5. Probat verò suam sententiam (1) ex originalis peccati unitate, quia nimirum manifestum est, quod peccatum originis in quolibet homine sit unum tantum peccatum, ut hac ratione per se describi nequeat ita, quasi in essentia sua plura peccata comprehendat. Resp. (1) scriptura peccatum originis non tantum ut unum, sed etiam ut multum describit Psalm. XIX. 13. Delicta quis intelligit? ab occultis munda me (מִסְתַּרְוֹת) Et Vulgata, Papistis authentica, juxta Concil. Tridentinum Psalm. LI. 7. Ecce in INIQUITATIBUS conceptus sum, & in PECCATIS concepit me mater mea. (2) Consideratur peccatum originis vel ὀλικῶς, ut una peccatorum actualium omnium origo: vel μερικῶς, ut multa variarum virtutum corruptio: priori modo unum est, posteriori quoque multiplex dicitur: (3) Consideratur vel ratione sui, suarumque privationum & corruptionum, vel ratione effectuum, seu peccatorum actualium: posteriori respectu dici potest unum quid, priori varios defectus & vitiosos habitus complectitur. (4) Bellarminus ipse lib. 5. de amiss. grat. & statu peccati c. 6. p. 477. Concilium definit, non unum in omnibus, sed unicuique proprium inesse peccatum originis, contra sententiam minus rectam Pigbit & Catbarini, & lib. 4. c. 4. p. 347. Posse etiam peccatum originale significari nomine peccatorum & iniquitatum, tum quia non est inusitata in scripturis, & in profanis auctoribus figura intellectio, qua numerus multitudinis ponitur pro numero singulari, & contra numerus singularis pro numero multitudinis, tum quia in peccato illo primo Adami, quod à posteris generatione contrahitur, multe fuerunt iniquitates, superbia, infidelitas, inobedientia & alia. Si proinde multa sunt in originali peccato vitia, sequitur, quod ita simpliciter non sit unum. (5) Non potest, nec debet negari, quod per omnia Decalogi præcepta se peccatum originis extendat, quia quoad omnia præcepta homo propter vitium originis corruptus: at sicut varia præcepta sunt, varia præceptorum vitia, sic etiam originis vitium varietatem omnem non respuit.

6. (II)

6. (II) *Ex Originalis Peccati aequalitate*: quia notum est, quod peccatum originis in uno homine non sit majus, quam in altero, propterea sic in \mathcal{E} per se describi non potest, quasi multa in essentia sua peccata contineat. Resp. (1) nulla datur consequentia, quia non repugnat, quod minus aequalia quoque sint multa, neque multitudini opponitur aequalitas, sed haec cum *inequalitate* consistere nequit, quia *aequalitas & inequalitas*, non *aequalitas & multitudo* pugnant. (2) *Minor* non est simpliciter vera: cum enim vitium originis sit *corrupta qualitas, corruptus habitus*, eidem non repugnat *recipere magis & minus*, imò contrarium potius inde colligitur, quod *qualitates magis & minus recipere* dicuntur. (3) Nec ipse *Thomas Henrici* diffitetur omnem originalis corruptionis *inequalitatem*, quando mox scribit, das den Bösen den willen des Menschen voranlauffenden gelüsten nach unterschiedliche Naturen einer mehr/als der ander unterworfen sey: corruptio proinde non in omnibus, nec omni respectu simpliciter est aequalis.

7. (III) *Ex allegatorum peccatorum qualitate*, quia haec peccata, nim. esse sine metu Dei, sine fiducia erga Deum, tanquam effecta ex originali peccato, concurrente prava voluntate, promanant. Resp. (1) quicquid ut effectum per concursum pravæ voluntatis ex originali peccato progreditur, illud sub hoc effecti statu formaliter consideratum, non est ipsum Peccatum originis: hinc observandum, quod *concupiscentia*, vel etiam *illa peccata producta*, esse sine metu Dei, sine fiducia erga Deum, dupliciter considerentur, vel ut causa; vel ut effectus: *August.* Confessio non de posteriori, sed de priori statu loquitur. (2) *Prava* dicitur voluntas dupliciter, vel quoad *actum* congenitam, vel quoad *actum* activam: *Augustana Confessio* priorem non excludit ab originalis peccati natura, nec ea tantum in effectis, sed in ipsa natura corrupta reperitur, & ad ejus rationem requiritur, quia *corrupta voluntas* dicitur: posterior, de qua *Thomas Henrici* loquitur, ad effectus etiam *actuales* originalis peccati concurrat. (3) Si conferatur *Germanica Confessio art. 2. & Apolog. p. 51.* plenius & planius illud dubium solutum erit. Unde *Apologia* dicto loco verba *Germanica*

nica Confessionis urget: Petimus, ut inspiciatur Germanica Confessio, hæc absolvet nos suspitione novitatis. Sic enim ibi scriptum est: Weiter wird gelehret/das nach dem Fall Adæ alle Menschen/so natürlich gebohren werden/ in Sünden empfangen/ und gebohren werden/ das ist/ das sie alle von Mutterleib an / voll böser Lust und Neigung sind/ keine wahre Gottesfurcht / keinen wahren Glauben an Gott von natur haben können. Hic locus testatur, addit Apologia, nos non solum actus, sed potentiam, seu dona efficiendi, timorē & fiduciam erga Deum a timere propagatis secundum carnalem naturam. Dicimus enim ita natos habere concupiscentiam, nec posse efficere verum timorem & fiduciam erga Deum. Unde Thomas Henrici quoque fatetur, das böse Lüste den Willen des Menschen vorlauffen / si nimirum concupiscentiis pravis congenitis sermo sit: malè proinde sic urget, quod à Confessione producta peccata sint originalis peccati per concursum pravæ voluntatis effecta: nam quod præcedit voluntatem, illud certè formaliter voluntatis effectum esse nequit, cum effecta sequantur, non præcedant.

8. (IV) à scripturarum S. autoritate: quia pravæ hominis voluntatem præcedentes concupiscentiæ, quibus unus homo magis, quam alter propter naturarum differentiam est subjectus, peccatum originis proprie dici nequeunt: nam sicut S. Jacobus c. 1. 15. testatur, quod ex pravis voluptatibus peccata sumant ortum, ita pravæ voluptates, tanquam morbi connati, ex originali peccato oriuntur, quia homines extra statum gratiæ Dei, quæ cunctis ante lapsum Adami parata fuit, nati sunt, & propterea per Christi meritum regeneratione opus habent. Resp. (1) Concupiscentiæ pravæ vel sunt voluntariæ, vel involuntariæ, hoc est, vel fiunt ex voluntate, vel sine voluntate: De prioribus constat, quod non sint ipsum peccatum originis, sed originalis peccati effecta: posterioris generis concupiscentiæ, quæ sine voluntate fiunt non sunt unius generis: vel enim originaliter se habent, & sunt connatæ pravitates, vel corruptæ qualitates: vel actualiter se habent, & sunt activæ pravitates, vel peccaminosæ infirmitates: non has, sed illas cum Aug. Confessione ad peccatum originis referimus: Thomas Henrici v. de his, non de illis loquitur, adeoque sic pro more saltat extra lineas. (2)

Fa-

Fatetur Adversarius, quod concupiscentiæ sint *morbi connati*, hinc argumentamur: Q. est morbus connatus, illud non est actuale peccatum, cum actualia non connascantur, sed actu perficiantur, & à connatis semper distinguantur. Concupiscentiæ verò sunt *morbi connati*, angebohrne Seuchen / sicut ipse fatetur: Stat igitur *conclusio*, quod hæ concupiscentiæ non sint actualia peccata. (3) Nititur *Thomas hic* falsis *scholasticorum* hypothesebus, quasi nasci in peccato tantum sit nasci in *statu gratie destituto*, & quod *peccatum originis sit pura privatio* imaginis Dei, quæ commenta nos penitus rejicimus, cum peccatum originis non tantum inferat *imaginis divinæ privationem*, sed etiam *peffimam naturæ corruptionem*, prout è *precedentibus* est liquidum, & alibi pluribus probatum.

QVÆSTIO TERTIA.

An Lutberani moderni contradicant Articulo secundo Confessionis Augustanæ?

1. Nihil in *Augustana Confessione* tam firmum, & fixum esse videtur, quod à maledicentiâ *Papistarum* sit tutum, unde censent etiam ipsorum nonnulli, quod *Lutberani* huic articulo secundo contradicant. Inter hos audaces adversarios *Thomas Henrici* non postremam ducit phalangem, qui *part. 3. Iren. Cathol. cap. 7. pag. 300.* hanc *antitbesin* adducere, & quibusdam argumentis, licet frivolis, adstruere conatur: *Lutberani contradicunt articulo II. suæ Confessionis, quod liberi citra baptismum salventur.* Notandum hic, quod non de quibusvis *Lutberanis* hic solliciti sumus; cum certum sit, quod *Flaciani* quoque, quoad alios articulos, *Lutberani* fuerint, & esse voluerint, & tamen in hoc articulo gravissimum errorem de *peccato Originis* foverunt. Sic etiam de quæstionibus aliis circa doctrinam hanc inter nonnullos *Lutberanos* disputatum est: sed loquimur de *Lutberanis genuinis*, qui nomine non tantum, sed etiam doctrina tales sunt, & in articulo præsentis Confessione consentiunt, eosque contra

Thomam Henrici minime Confessioni contravenire pronun-
ciamus.

2. Probat verò suam sententiam (1.) *ex consensu moder-*
norum Lutheranorum cum Calvinianis; nam D. Hoe censet, Re-
formatos huic articulo contrariari, quia cum Calvino statuunt,
quod fidelium liberi sancti nascantur, adeoque non opus habeant
baptismo, ut primum filii Dei fiant, cum iam tales sint, quod
directe huic Artic. II. adversatur, ubi Confessio docet, quod pecca-
tum originis vere sit peccatum, damnans & asserens nunc quoque
mortem aeternam his, qui non renascuntur per baptismum &
Spiritus S. Huic contrarium aequè docere modernos Lutheranos,
ut Calvinistas, idque probat ex Meisn. Antropol. Dec. 1. Diss. 7. q.
2. Pontificii scribit, universaliter omnes infantes, ut incircumcisos,
sic non baptizatos, regno caelorum excludunt (Thom. Henrici ad-
dit, quod idem faciat in hoc, & 9. articulo Confessio Augusta-
na.) Nos autem cum orthodoxis Theologis (addit Henrici, quod
hac ratione Confessio Augustana non sit orthodoxa) sententiam
hanc Papisticam & nimis duram, & minus probabilem esse affirma-
mus, ideoque contrariam adsumimus.

3. Resp. (1) quod Calviniani in hoc doctrinae puncto Aug.
Confess. contradicant, communiter à Theologis observatur:
falsum autem, quod in eo vel veteres, vel moderni Lutherani Cal-
vinianis consentiant. Nam Calviniani (a) liberos sanctos ab u-
tero pronunciant, Lutherani minime: (b) Calviniani sanctita-
tem hanc absolutam fingunt, quod de Lutheranis dici nequit,
(c) Calviniani sanctitatem hanc ex absoluto decreto deducunt,
Lutherani decretum absolutum, & omnes ejus foetus rejiciunt.
(d) Calviniani loquuntur de statu libertatis, Lutherani de casu
necessitatis (e) Calviniani fidelium liberis ordinarie san-
ctitatem tribuunt, Lutherani saltem eos damnationi quoad ca-
sus extraordinarios, adjudicare nolunt. (f) Calviniani de
vivi loquuntur, Lutherani defunctos respiciunt. (g)
Calviniani hypothesein hanc fovent in neglectum & contem-
tum baptismi, Lutherani baptismum necessario requi-
runt (h) Calviniani baptismi virtutem omnem derogant, Lu-
therani virtutem spiritualement eidem assignant &c: (2) Falsum,
quod

quod vel *Augustana Confessio* dissentiat à Lutheranis, vel hi ab illa, cum svavissimus concentus hic reperiatur. Nam *Augustana Confessio* loquitur, de infantibus, *per se talibus, quatenus corrupti sunt, de remediis ordinariis, & urget Baptismi necessitatem non absolutam, sed ordinatam: idem faciunt ubique Lutherani.*
 (3) Quod *B. Meisnerus* de *Papistis* asseruit, illud è scriptoribus *Papistis* etiam demonstratum dedit, sicut è *l. d.* manifestum.
 (4) Falsum, quod in hoc doctrinæ capite sit inter *Confessionem Augustanam & Papisticam doctrinam* consensus, cum *August. Confessio* non de morientibus, sed *viventibus infantibus* loquatur, & *Papista simplicem, vel absolutam Baptismi necessitatem* urgent, sed *August. Confessio* tantum *hypotheticam* adstruit, nimirum si haberi potest, extra casum necessitatis in ordinario statu. Et quod hæc sit *August. Confess.* doctrina, patet ex eo, quia loquitur de *ordinaria peccati originalis culpa & venia*, falsum igitur, quod hic ulla sit inter *Meisnerum & August. Confess.* contradictio, cum *Aug. Confessio* loquatur de *ordinario*, sed *B. Meisnerus* de *extraordinario Baptismi statu* verba facit.

4. (II.) Objicit ex eodem th. 25. *Quod si autem ulterius queratur: Quid sit statuendum de iis infantibus, quorum parentes licet in Ecclesia vivant, impii tamen sunt & hypocritæ, nullamq; liberorum curam habent, sed ipsorum Baptismum negligunt, nedum ut pro ipsorum salute orent: quod B. Meisnerus respondeat: quod non portent iniquitatem parentum. Item quæst. 3. An liberi infidelium extra Ecclesiam nati damnentur? & quod hic τὸ ἐπιχειρῆν eligat.* Hic iterum urget, quod *August. Confessione* contradicat, quæ *Baptismum simpliciter & indubitanter necessarium ad salutem esse* statuat. Resp. (1) ex antea dictis manifestum, quod nulla hic reperiatur contradictio, cum de *diversis objectis, subiectis, statibus &c.* sit sermo. (2) *Augustana Confessio* nullum de *hypocritarum, vel etiam infidelium liberis* verbum facit, adeoq; nec quicquam hic definire voluit, multo minus omnes non baptizatos simpliciter cum *Papistis* à participatione salutis excludit. (3) Non dicit hæc nude *B. Meisnerus* quoad *primam quæstionem*, sed ex *Ezech. XIX. 19.* & rationem addit, quia omnia salutis fundamenta

damenta cum piorum infantibus ex æquo sint communia. Sic enim d. l. rb. 25. quæstionem adductam resolvit: Resp. breviter (de hypocritarum infantibus) quod non portent iniquitatem parentum Ezech. 18. 19. præsertim cum omnia salutis fundamenta hæcenus recensita ijs ex æquo cum piorum infantibus sint communia. Licet enim preces parentum quo ad illos desint, tamen defectum eum supplet Ecclesia, quæ in Litanis suis Deo embryones, omnes infantes fideliter commendat, quas preces ratas firmasq; esse omninò statuum est. Parentes autem huiusmodi gravem suæ impietatis, & spre- ti Baptismi non tantum rationem Deo reddituros, sed etiam, ni resipi- scant, daturos esse, extra omnem dubitationis aleam est posi- tum. (4) B. Meisnerus ipse dubium tale tum ex Confes- sione, tum ex Apologia proposuit tb. II. quibus neutiquam, prout Irenicus autumat, contradicere voluit. (5) aliud est dubitare, aliud negare, vel aliud ambigere, aliud contradicere. B. Meisnerus, juxta scripturam I. Corinth. XII. 13. τὸ ἐπέχειν eligit, Augustana Confessione non contradicit. (6) Hinc denique falsum, quod A. C. directe loquatur, vel de infantibus Christianorum ante Ba- ptismum denatis, vel de infantibus gentilium extra Ecclesiam mortuis: sed indefinite loquitur, & tum corruptionis universali- tatem, tum pœnarum atrocitatem, tum remediorum necessita- tem, in genere prosequitur: malè v. generalia Thomas Henrici statim ad certam determinationem & ad casus extraordinarios, contra mentem Confessorum restringit.

5. (III) Quia Confessio Augustana propterea disertis ver- bis Anabaptistas in Exemplari Latino damnavit, quod infantes absque baptismo salvari statuunt. Resp. (1) Augustana Confessio damnat Anabaptistas, quod improbant Baptismum puerorum, & (SIC EX IMPROBATIONE, vel etiam contemptu, seu nega- tione Pædobaptismi) affirmant, pueros sine baptismo salvos fieri. (2) Anabaptista quoque de vivis, non de mortuis infantibus loquū- tur. (3) De statu ordinario, non de casu extraordinario. (4) Ob baptismi inefficaciam hæc fingunt, quæ & alia longe sunt à Luther- rano aliena.